

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnim Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CC. Ioannis Papae VIII. Ad Clericos Constantinopolitanos. Eiusdem
argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

humanæ legis experte barbaro non improbare non possis; totque falso-
ritates admixtas literis non priuati alicuius & ignoti hominis, sed ab
apostolica sede ex episcoporum Concilio datis; nec ad vilem ali-
quem terræ filium, sed ad ipsum orientis imperatorem, nec otiose
vel leuiter de rebus nullius momenti conscriptis, sed quæ maximi
omnium ponderis essent; vt merito tanti auctorem sceleris improba-
re, & execrari, ipsumque facinus abominari, atque horrere tam-
quam funestum aliquid ab imis inferis proditum a principe tenebra-
rum per filium tenebrarum nomine tenus lucis angelum mentien-
tem Photium, omnino debeas.

EPISTOLA CC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS.

Eiusdem argumenti.

*Reuerendissimis & sanctissimis omnibus episcopis, & confratribus
ecclesiae Constantinopolitanae sedem respicientibus,
seu tribus aliis principalibus ecclesiis
Hierosolymitanæ.*

QVORVM DAM sane vestrum fratres carissimi scripta
fusciplentes, vnanimitatem, atque consensum in par-
te Photii in eis plene reperimus, indeque obnixe optantes,
vt quod particulariter hactenus, hoc canonice semper, &
generaliter, atque secundum ea, quæ sunt Christi Iesu, &
non quæ vestra, pia animi deuotione, id ipsum, vt non sit
in vobis schisma, sapiatis querere, pulsare, & inuenire;
nos autem moderatione sedis apostolicæ, si cut diuisa con-
tentione, atque dolemus scissa errore, ita gaudemus in
vinculo pacis, ac caritatis compagine soliditatis fraternita-
tem vestram sine intermissione intuolare perfistere, iuxta
2. Cor. 13. Apostolū, idem sapite, & Deus pacis erit vobiscum. Quod
vero solicita intentione vestra petit dilectio, vti auctori-
tate beati apostoli principis apostolorum Petri, vobis Photiu-
Lnc. 22. m patriarcham in regia vrbe Constantinopolitana fore
consentiamus, illud animo luce clarius retinetis, quod in
euangelio primo pastori Dominus ait: *Ego pro te rogaui Pe-
tre, vt non deficiat fides tua;* & tu aliquando conuersus confirma
fratres tuos. His hortatibus succensi, imo potius corroborati,
in quantum sine graui offensione valemus auxilium fer-
re, tam cunctis Domini sacerdotibus, quam vniuerso in

orbe terrarum Christiano populo , nunquam desinimus ,
sequentes prædecessorum exempla , de quibus sanctæ me-
moriæ Hadriani papæ in Tarasii nuperrime regiæ vrbis
patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba. in-
ter reliqua inquit : Ipse enim Tarasius regiæ vrbis patriar-
cha misit nobis synodicam priscam amplectēs confuetudi-
nem, quam suscipientes, & liquidius indagantes, & tam de
fassione rectæ fidei eius, quam dogmatum sanctarum sex
Synodorum , & venerandarum imaginum ouantes, nimis
iterum conturbati, ac contristati sumus, quia ex laicorum
ordine , & imperialibus obsequiis deputatus, repente in

In epistola
Hadriani
I. ad Con-
stantinum,
& Irenen
imperato-
res.

<sup>* In epi-
stola Ha-
driani est
a caliga-
militari.</sup> patriarchatus culmen electus est, & * apocaligus contra
sanctorum Canonum censuram factus est patriarcha. Et
quod dicere pudet, & graue tacere est, qui regendi adhuc,
& docendi, sunt doctores, nec erubescunt videri , nec
metuunt , ducatumque animarum impudenter assumunt ,
quibus via omnis ignota doctoris est , quo vel ipsi gradian-
tur, ignari sunt. Quod quam prauum, quamve sit teme-
rarium, sacerdiali ordine , & disciplina monstratur : nam
dum dux exercitus non nisi labore & solicitudine exper-
tus eligitur, quales animarum duces esse possunt, qui in
episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione con-
scendere ? Huius saltem rei comparatione considerent, &
aggredi repente inexpertos labores abstineant, quippe qui
non didicerint quod doceant . Vnde canonica instituit
censura nequam ex laico ad sacerdotium repente trans-
ire. Et nisi per eius fidelem concursum pro sanctarum ima-
ginum erectione eius consecrationi assensum omnimodo
tribuere nequivimus. Porro & nos ac vos fratres carissimi,
lege constringimur , vt si deinceps apud cunctam eccle-
siam, quæ in vobis est, a paternis regulis per similem præ-
uaricationem nunquam spondeatis delinquere, id est , ne
<sup>* aliquid
debet.</sup> neophytum repente ad honorem ascendere *. Et si paro-
chiam Bulgaræ gentis , quæ Deo auctore beati Petri apo-
stoli intercessione , atque deceessorum nostrorum labore ,
ad Christum conuersa est, subducta quam ibi fecistis illi-
citam ordinatione , reddideritis ; & abiectos quosque fra-
tres , ac discordantes vestro labore * studio cum prædicto
<sup>f. deinceps
reconciliacionis.</sup> Photio quem patriarcham in regia vrbe desideratis habe-
re , aliisque piis operibus offensionem , quam coram Deo ,

& sanctis Canonibus contraxistis in hac parte, recompensaueritis. Venerabilem fratrem Photium coram Synodo misericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi volumus, & nostræ communionis, imo & beatorum apostolorum, seu omnis ecclesiæ fore, Domini miseratione, participem. Hoc exemplo roborati maxime, quo egregius prædecessor noster Innocentius sanctissimus papa Photinum restaurare dignatur, dicens: Veniam nunc ad maximum quasi quoddam thema, Photinum; & inter alia. Quia res ad salutem redit venia, hunc in tantum vobis annitentibus, post condemnationem more apostolico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, vobisque tam bonis, tam caris non dare consensum, omnibus duris rebus duabus arbitramur. Pro vestra ergo approbatione fratres carissimi, & sententia, ac postulatione episcopum Photinum habetote. Licitum est ita constituere ut deprecamenti; & nostram in melius conuersam sententiam, labore vel testimonio vestro, compotes voti suscipite. Solicitos enim vos pro salute libenter admitto: cui manum porrigitis, vobiscum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim est ad Corinthios apostolica declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam, ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Data mense Augusto, indictione XII.

Missa per Petrum presbyterum.

N O T A.

* *Epistola C.C.]* Hanc sicut ceteras recitatas passam esse perditissimi hominis Photii imposturam, patet ex verbis istis: *Venerabilem fratrem Photium coram Synodo misericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi.* Quæ professionem humilitatis insinuantia superbus & profanus homo plane abrasit, & loco istorum (ut in ceteris fecerat) ista posuit: *Photius patriarcha sanctissimus & religiosissimus frater noster, non dignetur in conspectu Synodi gratiam & studium nostrum, quin potius viscera misericordia Romanorum ecclesie predicare, quod ab ea sit receptus.*

EPI-